



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitatio Ethica De Virtute Heroica Et Semivirtutibus

**Weiss, Johann
Schmoll, Wilhelm Bernhard**

Giessæ Hassorvm, 1664

IV. Continentia versatur circa voluptates. 7. Ethic. Nic. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35917

A X I O M A T A.

I. Ad finem practicum etiam semivirtutes faciunt.

Licet non ratione *imperfectio*nis, per quam ab habitibus virtutum moralium discernuntur; bene tamen ratione *bonitatis*, quam, ut dispositiones & rudimenta ad habitum virtutis perfectum ipsæ includunt: & ratione *accuratioris* virtutum *cognitionis*, juxta quam rectius discerni & distinctius cognosci queunt. Piccol. phil. de mor. grad. 3. cap. 1. pag. 235.

II. Semivirtutes dicuntur imperfectæ.

Imperfectæ dicuntur non *imperfectio*ne *essenti*ali, quæ proflus non datur; sed *graduali*, quatenus respectu aliarum virtutum minus firmiter subjecto inhaerent. Schefter. exerc. Ethic. 12. de virt. imperf. th. 4. 5. 6. Velsten. dec. 3. eth. quæst. 3. pag. 81. Henr. Nicol. Gymn. eth. exerc. 13. th. 2. Ifendoorn, ethic. perip. lib. 2. cap. 18. quæst. 1. pag. 370. seq.

III. Tot sunt semivirtutes, quot sunt virtutes.

Quamvis non *nominatim*, quo sensu ob respectum generalis objecti, quod voluptas est & dolor 2. Ethic. Nic. 3. duæ tantum certis nominibus recensentur semivirtutes; attamen *quoad rem ipsam*, seu *initia* virtutum: quia tot sunt initia constituenda, quot complementa. Piccol. l. c. gr. 3. cap. 14. p. 254.

IV. Continentia versatur circa voluptates. 7. Ethic. Nic. 4.

Non *in specie* circa eas tantum, quæ ex gustu & tactu percipiuntur; sed *circa omnes in genere*, quæ moderamine aliquo opus habent: neque uno, sed diverso modo, ita ut circa voluptates necessarias (quales sunt prioris generis) occupata sit *primario*, circa non necessarias *secundario*. Sthal. Eth. sect. 3. cap. 2. p. 219.

V. *Continentia circa voluptatem est abstinentia.*

Intelligenda est abstinentia non *omnimoda*; sed talis, quâ quis abstinet ab *illicitis & immoderatis* voluptatibus, quibus frui, prohibet honestas. Sthal. l. c. p. 221.

VI. *Venus est necessaria ad vitam conservandam.*

Licet Venus non sit necessaria ad vitam *divinivivi* conservandam; est tamen necessaria ad vitam quoad *totam speciem* propagandam; nisi enim homines venere uterentur, species humana interiret. Sthal. l. c. p. 219.

VII. *Incontinens peccat sciens. 7. Eth. Nic. 3.*

Etiamsi (1) non *scientia* (vel potius *notitia*) *particulari*, applicando eandem ad præsentis actiones; attamen *universali*, cognoscendo, quid in genere honestum sit & laudabile, quidve turpe & vituperabile. (2.) Neque *scientia actuali*, transferendo eandem in ipso opere ad præsens objectum; attamen *habituali*, retinendo videlicet facultatem cognoscendi turpitudinem facti præsentis, quod modo perpetrat. (3.) Neque *scientiâ soluta*, liberè eadem utendo; sed *veluti ligatâ* ad tempus, eandem minimè, exercendo. (4) Neque *in ipso scil. facto*, quo affectu vehementiori prohibitus non attendit, malum esse, quod committit